




V
B J
C
C.R. BIBLIOTHECA
UNIVER. IAGELL.
CRACOVIENSIS
kat.komp.
11189
I
Mag. St. Dr.
P





M. T. C.
TRIUM DE OFFICIIS LIBRORUM,

IN QUIBUS

Rectitudo Vitæ & Morum continetur,

TRILINGUIS EAQUE BREVIS

EPITOME.

Adolescentulorum intelligentiæ & Memoriæ accommodata.

ACCESSIT SERIES ET ORDO BREVIS.

I. Omnium librorum, quibus Cicero universam Philosophiam complexus est.

II. De Philosophandi more apud Græcos, & quòd eandem consuetudinem Cicero sit secutus.

III. De Philosophiæ origine, definitione & Sapientiæ discrimine.

IV. De legentium tali profectu, qualis est rerum & Authorum lectio.

V. Comparatio Ciceronis librorum, cum Aristotelis libris Philosophicis.

Studio

ADAMI THOBOLII.

THORUNII

Ex typographia Augustini Ferberi.

ANNO M. DC. XI.



Virtus.

VIRTUS est affectio animi constans, conveniensq́;, laudabiles efficiens eos, in quibus est, & ipsa per se suasponte, separata etiam utilitate, laudabilis. Ex ea proficiscuntur honestæ voluntates, sententiæ, actiones, omnisq́; recta ratio: quanquam ipsa virtus rectissimè recta ratio dici potest. 4. Tuscul.

Sophia.

Deinceps omnium virtutum illa Sapientia, quam σοφίαν Græci vocanr, rerum est divinarum atque humanarum scientia. 1. Offic.





GENEROSA INDOLE
ET PERANTIQUA NOBILITATE
Adoleſcentibus

DD: STANISLAO
ET
JOHANNI SBASCIIS, Magnifici & Generoſi Domini

D: ABRAHAMI
SBASKI de Sbaſsin &c. literarum & literatorum Patroni magni Filiis.

S. P.

ADAMUS THOBOLIUS.

MUlta ſunt, quæ ad debita ac ſtabilia Honeſtatis vitæq; Officia nos pertrahunt, Adoleſcentes Generoſiſſimi, q̃ parare, quæ ſequi, q̃ expetere, atq; optare univerſi debemus: niſi implicati variis erroribus alii aliis, ab ipſa veriſſima recti notione deducamur opinione falſa, quod & Lyricus ſenſit, cum iniquit,

Nemo quam sibi sortem seu ratio dederit: seu sors objecerit: illa contentus vivit.

Verùm ex omni mortalium numero, ii soli regia ad felicitatem gradiuntur via; qui post Deum ad Virtutem amplectendam & adipiscendam, rectam honestè vivendi rationem, omnemq; industriam atq; operam contulerunt.

Id quod sanè faciunt, qui Generosis sunt & præstantibus ingeniis, altissimoq; animo, tùm adolescentes, tùm viri: qui ex veris Sacræ Scripturæ fontibus cognito inprimis æterno illo & vero bono, tandem solidam illam Sapientiam facilè consequuntur & possident.

Qui verò in eo ipso exercendarum virtutum deserunt studium nunquam veram illam consequentur Sapientiam, atq; sic innumeris implicantur erroribus, & per diversos eosq; cæcos oberrant calles, sequuntur anfractus devios, labuntur in præceps, nec ad justam & veram vitæ normam suas perducent actiones.

Investiganda igitur, & quærenda omni studio est illa ipsa Sapientia, tùm inventa colenda est, & omni studio exercenda exoptata virtus: ut sic perspecta undiq; certa veritate, quam Sapientia pollicetur, & laudabiliter vi-

ter vivere, & cum recto conſcientiæ bono felices eſſe poſſemus.

Verumenimverò, cum hoc ipſum Romani eloquii princeps & Philoſophus Cicero in libris de officiis, ex Naturæ legibus deductis Virtutibus, quibus & Politiæ, & Oeconomiæ gubernantur, eximiè doceat: qui omnium eruditorum calculo, tam formandis moribus, quàm in communibus vitæ officiis honeſtè dirigendis maximam merentur laudem. Nec injuriâ. Habent enim plùs doctrinæ, quàm fortè multæ multorum Philoſophorum ſubtiles & uſui communi parùm accommodatæ diſputationes.

Nam non ſolùm Virtutum vim nobis explicant, ſed & Adoleſcens diſcendi cupidus, Latinæ linguæ puritatem & elegantiam inde hauriet, & benè diſſerendi facultatem capiet: Vir quoq; Politicus in Regimine Reipublicæ conſtitutus, conſilia ſalutaria, pro communi bono ad Juſtitiæ & Prudentiæ normam dirigi oportere hinc cernet evidenter.

Deniq̀ue quilibet in quocunq; vitæ ſtatu & conditione poſitus, quid eum ſequi deceat, quid fugere opus ſit, ex his officiorum diſcet libris.

Sed nolo nunc actum agere: Quandoquidem hos libros veris & multis laudibus

Viri eruditi lectoribus commendaverunt, ideo & judicii mei laudem supervacaneam esse puto: Tantùm illud addam ex doctissimorum virorum sententia: Ea quæ tribus hisce de officiis libris à Cicerone docentur, talia esse, ut paucissimis immutatis, quæ à Chistianæ religionis præceptis planè abhorrent, nihil magis institutis Christianæ fidei consentaneum, nihil Christiano homine dignius, ex Ethnicæ Philosophiæ fontibus hauriri possit: Proinde hi libri, tanquam officii nostri monitores, nunquam de manibus discentium] sunt deponendi: immò verò in omni nostra tum publica, tùm etiam privata actione, consiliariorum vice, apud nos fungi debent.

Maximè cum hæc eadem Ciceronis Officia D. Ambrosius, ita ad Christianismum transtulerit, ut correcto gentilitio errore, præclarè exemplis sacris illustrata habeamus.

Cæterùm, quia non nisi frequenti & attento studio depræhendi possunt, quæ magna dicendi & instituendi peritia summus ille & Philosophus & Orator conscripsit: nec Juventus nondum satis judicio confirmato rei cardinem ob ingenii imbecillitatem valet apprehendere: imò verò & illi, qui negotiorum mole occupati, legendiq; ocio eorum,

quæ prolixiùs ſunt ſcripta, deſtituti, aut tædio capti, res præcipuas & maximas antehac non ſine magno paratas ſudore libenter in memoriam revocant, ideò gratum eſt iis, brevi compendio rurſus rerum per oblivionem deperditarum recordari.

Ea de cauſa ego quoque doctorum virorum veſtigia ſecutus, quorum Minerua elimata, ingenium altum, eruditio celebris: tres illos de Officiis libros, in aliſſimo Ethices & Virtutum pelago à Cicerone graviter deſcriptos, ſingulari hac Epitoma, triplici lingua (exiguis licet literarum remis inſtructus, & Oeconomicæ vitæ negociis diſtrictus) donatos, ceu teſtem meæ perpetuæ in Magnificum veſtrum Dominum Parentem obſervantiæ offero, ac veſtræ quoq; huic ætati Juvenili dicatos eſſe volo.

Quamvis verò, ſummus ille Ariſtoteles in ſuis ad Nicomachum Ethicis dubitarit, an Juvenis eſſet idoneus doctrinæ moralis auditor, ſiquidem is & rerum Civilium ſit imperitus, & animi perturbationibus nimiùm indulgeat: Tamen ego optimè in hanc veſtram ætatem tales præceptiones quadrare, & eiſdem accommodatiſſimas eſſe, ſiquidem à teneris adſueſcere multùm eſt, credo. Nam & Sacra elogia, hanc veſtram ætatem volunt

esse Spir. S. templum: ætas hæc habet sua nomina scripta in cœlis: in his plantariis sunt Episcopi Reges & Cæsares, Duces, Principes, Palatini, Castellani, Barones, Nobiles, Consules, Proconsules, & reliquorum Ordinum ac dignitatum gradus: Et quò infirmior ætas hæc est, eò plus honoris habet.

Nam & Angelos habet præsides, & huic ætati manum Christus ipse Dei Filius imponit, singularemque impertit benedictionem, dum huic regnum cœlorum propriè adscribit: ideoque hæc in solenni illo triumpho Hierosolymitano canit Christo Domino gratum Hosianna: Ad extremum hi illi parvuli sunt, quorum uniuscujuslibet offensionem Christus punire atrocissimo supplicio vult, & horum malis ductoribus, & doctoribus verbo vel facto eos offendentibus, molam asinariam alligari, & demergi præcipit, non in arenam ripæ proximam, unde possent enatate, sed in profundissimum pelagus, ubi suffocati pereant.

Verùm injuriarum actionem, pro hac ætate imbecilla, nunc instituere nolo: Cum hæc potentissimum Altissimi habeat patrocinium.

Vos jam Adolescentes Generosi compellare tempus me jubet: Neque tamen mihi il-

lustris ac pervestutæ Sbøsciorum familiæ seriem encomiaque recensere animus est. Nam illa ipsa à multis retroactis sæculis, vetustate nominis & rerum præclarè gestarum gloria magnarum Familiarum decus adæquat, quod ipsi Annales abundè docent: Quin & familiæ quoq; Sbøsciorum Excellentis, insigne vetus admodum & splendidum, Vitta nempè alba in campo ceruleo, & Maurus habens caput lenisco religatum stat erectus, inter duo ramosa & reflexa Cervi cornua. Avorum verò & Majorum vestrorum gloriam, ac inprimis Magnifici vestri Domini Parentis, D. Abrahami Sbøscii, cujus decus, ingenium, mores comitatem, benemerendi erga amicos studium & liberalitatem, si vellem recensere, tempus & ingenium me deficient: & sane me ad id imparem esse ingenuè profiteor, nec verba mihi sufficiunt, quibus sensa animi mei aperiam, ac singularem ejusdem Domini Parentis vestri erga me affectionem exponam, qualem à teneris unguiculis, dum ipsius Generosæ Adolescentiæ moderator essem, probavit, eandemque constantem ac perpetuam erga me retinuit, ad vos quoque Generosam prolem, quasi jure hæreditario, uti spero, transmittere & commendare non grauabitur.

Plurima ergo me impellunt, cur in colendo vos & Magnifico vestro Domino Parente totus hæream, Cum & hoc favoris, & benevolentiæ officium accedat, quòd pro sua benignitate & gratia Theophilum filium, favore prosequi, eumq; communi vobiscum institutione frui non dedignatur, quem & vobis inprimis esse commendatissimum exopto.

Tandem Generosi Adolescentes, vos iterum atque iterum rogo, ut liberalî fronte, labores hos meos accipiatis, quibus delibatis, palatum ad ipsum flumen Ciceronianæ Eloquentiæ tantò alacriùs vobis omni contentione præparare studeatis: Et ita Inclytæ Sbaſciorum familiæ gloriam, ad posterorum posteros summa cum laude, & emolumento Ecclesiæ Dei & Reipublicæ salute transmittatis, & verarum virtutum gloriam ipso exprimatis facto: quorum decus cum illustrium & antiquarum in Regno Poloniæ Familiarum vel generationis, vel affinitatis vel cognationis proximum gradum & lineam habet, ideoq; heroica quoque & exquisita institutione decorandum erit.

Valete etiam atque etiam Generosi Adolescentes, & me meosq; vobis, atq; adeo toti Familiæ vestræ inclitæ addictissimum habete

bete: quibus hujus novi Anni initium & ejus progressum felicissimum, ut & aliorum complurium, unaque Magnificis Parentibus vestris, ex animo precor. Thorunii ex Ædibus meis. Cal. Jan. Anno 1611.

PHOEBUS AD ADAMUM THOBOLIUM.

Unde refers THOBOLI, *Phæbea numina tecum?*
Teq; novem jactas semper habere deas?
Ad te sæpè venit Præclaro nomine Sbœski
Sbœski: quem verâ reris amare fide.
Nec tamen hunc cernis: vel si tibi cernere fas sit,
Non posses doctis, hunc retinere modis.
Vel fuge Pierio procul hinc de vertice: vel tu
Officium semper perfice ADAME *bonum.*

Vestræ Magnificentiæ
observantissimus.

ADAMUS THOBOLIUS.

IN OPERIS COMMENDATIONEM.

Εἰς ταῦτα τὰ ἐρωτήματα ἐκ τῶν τριῶν τοῦ Κικερῶνος περὶ τῶν καθηκόντων βιβλίων.

Σπουδαίου ἔργον πέλει, ἐκτελέειν τὸ καθῆκον,
Τόν τε βίον διάγειν εὖ καὶ ἐπισταμένως.
Ἀλλὰ τόδ᾽ ἐκ τούτου μανθάνειν βιβλίου ἐστι.
Θωβόλιος δ᾽ ἀταλοῖς γράψεν ἐκεῖνο νέοις.
Χρήσιμα γράψε νέοις. Μεγάλη τόινυν χάρις αὐτῷ.
Οὐκ οἶον δὲ νέοις, ἀλλὰ γέρουσιν ὁμῶς.
Σὺν νεαροῖς ἀρεταὶ καὶ γὰρ κοσμοῦσι γέροντας,
Ποιοῦσ᾽ ἀμφοτέρους οὔνομ᾽ ἄληστον ἔχειν.

ID EST,

In hasce quæstiones ex tribus Ciceronis de Officiis libris.

Officium facere est proprium Prudentis, & ejus,
Qui benè, qui scitè munia obire studet.
Istud ab hoc parvo facilè est addiscere libro:
THOBOLIUS teneris huncce dicat puerũ:
Inservit pueris: illi sit gratia magna:
Nec solùm pueris, sed simul & senibus
Virtutes pariunt pueris, senibusq; decorem:
Amborum eripiunt nomen ab interitu.

M. ADAMUS FREITAG Thor.
Gymn. patrii Collega F.

Aliud



ALIUD.

QUI docet Officium, virtus quodq; ipsa requirit,
Ille DEO servit: consulit Ille Scholis.
Qui facit Officium, Virtus quod dictitat Ipsa,
Ille DEO est gratus: consulit Ille sibi.
Hinc tuus ille Labor, TOBOLI docte, probatur,
Quo facienda mones, quo fugienda vetas.
Quilibet Officii memor ut sit ritè docendo
Discendove sui, faxit, in Orbe, DEUS.

EThnica virtutum quæ sit doctrina sequenda,
Parve puer, parvus Te monet Iste liber.
Hunc cum præceptis CHRISTI benè jungito, quò sis
Doctus in Orbe Soli, Salvus in arce Poli.

M. MICHAEL FALCO.

ΣΥΝ-

ΣΥΝΧΑΡΜΑ.

NOn poßidentem multa, vocarier
Verè beatum QVINTUS HORATIUS
Censet venustè: Sed beati
Nomen eum potius tenere
Claris DEORUM qui sapienter, &
Rectè fruisci muneribus valet.
Sic jure, non multùm scientem,
Sed benè de studiis merentem
Meo beatum judico Calculo.
Nam scisse multi multa fatentur, ast
Quod nemini prodesse ducunt:
Atq; ita muneribus DEORUM
Pravè fruuntur; Te merito vocant
Turba Sororum, & CASTALIORUM Chorus
ADAME, voce altâ beatum,
Nomen ad astra tuum feruntq;.
Nam non mereris de studiis modo,
Verum Iuventam & vivere floridam,
Primis ab annis, castra verè
Inclüta PIERIDUM colentem
Doces beatè. Quid melius? Nihil.
Pergas libellos edere plurimos,
Te semper ut dicant CAMENÆ,
Catus & AONIDUM beatum.

Honoris & Amoris ergo accinebat.

ALBERTUS GRESNERUS
Sternbergâ Moravus.

SERIES

SERIES OMNIUM LIBRORUM, QVIBUS M. TULLIUS UNIVERSAM PHIlosophiam complexus est.

M. Tullius summis honotibus defunctus, Universam de vita & moribus Philosophiam prudentissimè continuavit ita,

Ut primò gradu collocaret Hortensium (qui Romæ insignis fuit Orator, & princeps in dicendo longo tempore habitus, æmulus Ciceronis: Cujus dotes, studia, actiones, ætatem, fortunam, Cicero in libro de Claris Orat: attingit) In cujus primo voluminis libro, qui inscribitur Hortensius, ea omnia contulit, quæ vituperatores Philosophiæ adversus eam publicè afferebant. In Secundo, reliqua adjunxit, quibus philosophiæ vituperatoribus cumulatè responsum, & satisfâctum existimauit.

Secundò collocat libros quatuor Academicarum quæstionnm, in quibus quo

quo genere philoſophandi eſſet utendum, clariſsimè expoſuit.

Tertiò, quinque libros, de Finibus bonorum & malorum: quorum ſummam ipſe Cicero his exprimit verbis: Cùmq; fundamentum eſſet philoſophiæ poſitum in Finibus bonorum & malorum, purgatus eſt is locus à nobis quinque libris, ut quid à quoque, quid contra quemque philoſophum diceretur, intelligi poſſet.

Quartò, tres de Officiis libros, qui ſunt de medio officio, cum Dialogo de Amicitia, de ſenectute, & de Conſolatione in quibus præcipit diligenter, quæ munera & quæ actiones eſſent à nobis præſtandæ, ut naturæ humanæ convenienter viveremus, quem ſcopum ipſe demonſtrat in primo de finibus procæmio.

Quintò, libri Tuſculanarum quæſtionum, de perfecto ſapientis officio, de contemnenda morte, de tolerando dolore, de ægritudine lenienda, de virtute ad beatè vivendum ſeipſa contenta: de quibus ob ſimilitudinem rei Paradoxa, qua-

xa, quaſi eorum brevis appendix & index adjunguntur, id quod ipſe in Præfatione ad Brutum ſignificat: Accipies igitur hoc parvum opuſculum, lucubratum his parvis noctibus: quoniam illud majorum vigilarum munus in tuo nomine apparuit. Nominans eo loco munus majorum vigiliarum illud Tuſculanarum, quod pariter ad Brutum de iiſdem rebus jam ſcriptum fuerat, & hoc Paradoxorum, parvum opuſculum, ubi alterum alterius ſummam quandam eſſe breviorem aſſerere videtur. Quibus annumerari poteſt Catonis Uticenſis laudatio à Cicerone conſcripta: quia Cato ut perfectus Stoicus, ſe ſemper applicuit, ad eam vitæ formam, quæ maximè ad perfectum ſapientis officium accederet; partim etiam quia eum Cicero laudat ſummopere, ex eo officio, quòd mortem contempſerit, & ad ſolam virtutem omnes ſuas actiones retulerit.

Sextò, libros de Republica ſex, in quibus eum Reipublicæ ſtatum conformat, in quo cives optimis Magiſtratibus ad felicitatem perducerentur, Cum nihil a-

liud Reſpublica ſit, quam ordo magiſtra-
tuum in civitate inſtitutus ad quietam
civium, & beatam vitam: Quos tamen
libros, magna ex parte, ſumma cum jactu-
ra præter cæteros deſideramus.

Septimò, libros de Legibus tr
adnectit, hujus optimæ Reipublicæ à
inſtitutæ, quibus eoſdem cives & adho
taretur & impelleret ad virtutum actio-
nes, & ad naturæ humanę convenient
vivendum, hoc eſt, ad colenda officia
quibus ad ſummum illud bonum perve-
nire poſſent.

Et ultimo tandem loco, ex doctrin
ordine præſcripſit libros tres Oecono-
micorum, de legibus domeſticis, ad rect
tuendam rem familiarem, & ad eande
felicitatem augendam, & cumulandam
atq; id ab eo prudentiſsimo conſilio fa-
ctum putare debemus.

Summa brevis jam enumeratorum librorum.

Horum omnium Hortenſius, Aca-
demicæ quæſtiones: libri de Finibus: li-
bri de Officiis; Tuſculanæ quæſtione

libr

libri de Republica: libri de Legibus publicis: libri Oeconomicorum de legibus familiaribus, tanquam præcipua membra, & Partes, constituunt universum corpus humanæ & civilis philosophiæ: Dialogus vero de Amicitia; Dialogus de Senectute, & liber de Consolatione sunt adnata quædam, & apposita, & tanquam additamenta ac appendices ad medium officium, & ad libros Officiorum: Paradoxa vero & Catonis laudatio, sunt pariter additamenta ad perfectum officium, & ad libros Tusculanarum quæstionum. Vide Carolum Sigonium & Iasorum Denores.

De Vita & moribi Philosophorum.



Charta ne vacaret extrema, maximè utilem dabit Lectori Benevolo commonefactionem.

DE DELECTU LECTIONIS, & qui Authores maximè legendi.

NUllum librum tam malum esse, Plinius inquit, qui non aliquid boni doceat. At quid, si plura mala quàm bona? Judicio summo opus est, ut bona à malis secernantur & summa adhibeatur cautio. Præstat igitur, optimos quosq; magno cum fructa legere & imitari, absq; periculo, quam in malis authoribus & operam & oleum perdere.

Eo igitur consilio usi sunt Patres: Nam & D. HIERONYMUS Roma relicta Hierosolymam venit, & Gentilium libros, maximè Ciceronis avidius legens: Sed per quietem ad supremi judicis tribunal in cœlum tractus, accusatus, verberibus affectus, quod Ciceronianus esset, non Christianus. Verum dimissus cum juramento, ne unquam alios, præterquam, Divinos codices in manibus haberet: quod & summo fecit studio: Et dulcore latentium sub velamento mysteriorum captus, & eo plenius hausto exclamavit dicens. Quæ pars fideli cum infideli? quæ communicatio luci ad tenebras? quis consensus Christo cum Belial? Quid facit cùm Psalterio Horatius? cum Evangeliis Maro? cum Apostolo Cicero?

Vide

Vide Marull.lib.2.cap.5.Fulgoſum lib.1.cap.1. Sab. lib.2. cap.7.

Divus quoq; AUGUSTINUS, dum inter Dialecticorum Sophiſmata Chriſtum quæreret, hæreſi ſe implicaverat Manichæorum. Tandem Pauli Apoſtoli epiſtolas evolvens, reperit ſcriptum. Induamini Dominum JESUM CHRIſtum. Ac ſtatim diſcuſſis erroris tenebris, aſpicere cœpit lucem veritatis. Conſuluitque Ambroſium Epiſcopum, quidnam in ſacris primũ legere deberet, quò confidentius catholicæ fidei poſſet adhærere. Et audivit. Eſaiam ſibi legendum eſſe, utpote qui ea, quæ Chriſto contigiſſent, explicatiùs prophetarit: & gentium vocationem annis multis poſt futuram, quaſi præſentem viderit. Deinde ab Ambroſio baptizatus, Divinos codices perlegendo, non ſolum fidelis, ſed & præſtantiſſimus Doctor Eccleſiæ evaſit, cujus paulò antè dum ſeculari tantum ſcientiæ ſtuderet, fuerat oppugnator.

Scripturas itaque ſacras legant, qui puræ ſynceræq; veritatis luce cupiunt illuſtrari, dicente Propheta: Lucerna pedibus meis, Domine, Verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Vide Maurll.& Sabel. loco citato.

Exempla Prophana.

ARISTIPPUS, cuidam jactanti, quod eſſet πολυμαθής, hoc eſt, multiplicis eru-

ditionis. Quemadmodum,inquit,non hi qui plurimum edunt, excernuntq; meliùs valent his,qui ſumunt quantum opus eſt: Ita non qui plurima, ſed qui utilia legerunt ſtudioſi & eruditi ſunt habendi. Graviter taxavit eos, qui tumultuaria immodicaq; lectione ſemet ingurgitant: nec ea,quæ legunt, transferunt in animum & reponunt in memoria: quare nec doctiores evadunt, nec meliores, Laer. lib.2. cap.8.

ALEXANDER Mammææ F. Imp. doctiſſimus,Platonis præcipuè libros,& Ciceronis officia legebat. Ex poetis Horatium & Athenæum: Virgilium maximè,quem poetarum Platonem appellare ſolebat. Gyraldus Dial. 5. hiſtor. poet.

ARCESILAUS Pitanæus ex Æolide, Homerum omnibus præferebat, in eoque manè & veſperi ſemper aliquid legebat: Pindarum dicebat inprimis idoneum eſſe ad verborum nominumque copiam comparandam, Laert. lib. 4.

❧*)*(*❧

HUC ADDE, & ſequere conſilium,de Ratione ſtudii, & lectione legendi Autores, aureum libellum Eraſ. Roterodami: & Phraſibus Manutii Polonica & Germanica lingua expoſitis à THOBOLIO, annexum.

Compa-

COMPARATIO SINGULORUM CICERONIS LIBRORUM, CUM Aristotelis libris Philosophicis, ex Commentaiis doctiss. Virorum observata.

Hortensius nullam putatur habere similitudinem & convenientiam cum libris, quos de Philosophia humana, & civili reliquit Aristoteles: Neq; enim ille hujusmodi commendationes scientiarum, aut facultatum, de quibus præcepta tradit, solet adhibere.

Libri vero Academicorum de optimo genere philosophandi, respondent tertio, quarto, & quinto capiti primi libri Ethicorum, in quibus ille agit de ordine, & ratione progrediendi, & argumentandi in philosophia civili.

Libri de finibus, respondent primo libro Ethicorum.

Libri Officiorum respondent secundo, tertio, quarto, quinto, sexto Ethicorum.

Libri Tusculanarum, respondent septimo Ethicorum, & ei parti, in qua agit de virtute heroica: Eam namq; habent proportionem, comparationemq; media Officia ed virtutes morales, & intellectivas, quam habet perfectum sapientis officium ad virtutes heroicas.

Dialogus de Amicitia respondet octavo, & nono Ethicorum.

Libri de Republica respondent primis Septem libris Politicorum, usq; ad tertiumdecimum caput septimi.

Libri de Legibus respondent, reliquis capitibus septimi libri, & toti octavo Politicorum.

Libri Oeconomicorum respondent duobus libris, quos Aristoteles scripsit de re familiari.

Et hæc

Et hæc de Comparatione Ciceronis & Aristotelis Philosophicorum librorum: Verùm qui voluerit ordinem librorum cognoscere: quos M. Tullius ad constituendam universam humanam, & civilem philosophiam posteritati reliquit, legat proœmium secundi libri de divinatione. Ejus verba sic habent: *Quærenti mihi, multumq; ac diu cogitandi, quanam re possem prodesse quamplurimis, ne quando intermitterem consulere Reipublicæ, nulla major occurrebat, quàm si optimarum artium vias traderem meis civibus: quod pluribus jam libris me arbitror consecutum. Nam & cohortati sumus, ut maxime potuimus ad Philosophiæ studium, eo libro qui est inscriptus Hortensius: Et cætera, ibi vide.*

EPIGRAMMA IN LAUDEM CICERONIS.

Romanæ ornavit gentis doctissimus Orbem
Tullius ingenii nobilitate sui.
Non habet huic similem doctrinæ Græcia mater,
Nec reperire parem lingua Latina potest.

PLUS ULTRA.

Phœbum alii vates Musasq; Jovemq; sequuntur:
At mihi pro vero numine Christus erit.

A. T.

Typographus lectori S.

Zetemate VIII. quæ lectori sumus polliciti, ijs destinatus dabitur locus: maximè tamen si & has operas, requiri in tuum usum intellexerimus. Vale, & tua benevolentia nostrum promove studium.

ZETEMATA NECESSARIA NOVEM,

ante hanc Epitomen OFFICIORUM M. T. CICERONIS PhiloMuso prælibanda.

I.

Quis fuit M. T. CICERO?



ARCI Tullii Ciceronis Pater, fuit Tullius, Mater Olbia, natale municipium Arpinum: cujus familia defluxit à Tullio Volſcorum Rege, & hæc licet temporis lapſu nominis claritate fuerit antiquata: tamen poſtea Romæ ſupra vulgus eminebat: Et Cicero Equeſtrem locum medium inter patres & plebem obtinuit: cumq; adhuc puer præceptores Apollonium & Poſidonium in arte inſignes audiret, æquales tandem omnes ingenii magnitudine ſuperavit: ac cum per ætatem licebat ad Philoſophiæ civi-

Ciceronis parentes, patria, & Familia.

Tulliorum familia Equeſtris.

Cicer. ſtudia.

lisq; Juris studia se transtulit, ac tantum in utroque profecit, ut multa id genus ab eo publicata, ubiq; summa cum voluptate legantur. Florente deinceps ætate, audacior factus, sub Sylla in Marsico bello rei militaris munia laudabiliter obivit: Et cum esset in Urbem regressus Sex. Roscium ab Syllanis oppugnatum, parricidii quæstione liberavit. Ex quo cum Syllæ se odiosum perspiceret, Athenas concessit, ac ferventius Philosophiæ incumbebat, adeò ut Græcos in stuporem admirationemq; sui converterit: donec sollicitantibus amicis, post obitum Syllæ ad urbem remigravit, suasuque eorum, ut ad dignitates facilius ascendere posset, agendis eorum causis animum applicuit.

Cicero sub Sylla militavit.

Sex. Roscium à Syllanis oppugnatum liberat.

Athenas metu Syllæ concedit.

Ex quo Quæstor in Siciliam factus, summa prudentia, justitia, ac integritate se gessit, provincialibus gratus, advenis benignus, cœteris justissimus fuit, Urbemque rei frumentariæ penuria laboranti, tantum frumenti ad urbem transmisit, ut populum ab annonæ caritate releuaverit.

Cicero revocatus fit Quæstor in Sicilia.

A Quæ-

A Quæſtura paulo poſt rediens, Aedilis factus eſt, Præturamque itidem maximo populi ſuffragio obtinuit: Quod quidem munus ſumma præſtantiæ ac animi conſtantia obivit: nec timore unquam aut gratia divertit ab æquo. Et poſtquam eo exiſtimationis perveniſſet, ut ampliſſimo omni munere dignus haberetùr, Conſulatum præ omnibus nobiliſſimis competitoribus aſſecutus eſt. Cujus majeſtatem mira ſapientia, conſilio, & auctoritate gubernabat: Ita ut Romanorum omnium primùs Pater Patriæ appellatus ſit, motuſq; ob agrariæ legis contentionem mira Sapientia & facundia repreſſit: Famoſamq; illam Catilinæ conjurationem ſua prudentia retegit, & ipſum ab urbe pepulit, ſocios partim cæpit, partim necavit, et ita Remp. ab incédio, cæde et vaſtitate liberavit. Ex quo plurimum gratiæ & auctoritatis ſibi paravit, eratque tùm civitatis facile princeps, & cum dignitate in Senatù, foro, judiciis, propemodum ſolus verſabatur, unde facultetes amplas conſecutus eſt. Nam ab uxore Teren-

Cic. Aedilis, poſt Prætor.

Cic. Conſul.

Cic. primus Pater Patriæ appellatus.

Cic: Catilinam opprimit.

Authoritas Ciceronis.

Ciceronis opulentia

tia non parum accepit, & amicorum testamentis permultum. In Arpinate etiam fundum habebat amænissimum, in Tusculano villam, quæ olim Lucii Syllæ fuerat, in Pompejano & Formiano prædia amplissima, domumq; in Palatio. Patrocinii tamen nomine, mercedis loco nunquam aliquid sumpsit. Erant tùm temporis bonæ Deæ in maxima celebratione sacra, quæ solæ fæminæ, exclusis viris, celebrabant: Clodius vero Pompejam C. Cæsaris uxorem amans, muliebri vestitu amictus noctu Cæsaris domùm ingressus est, ubi sacra fiebant, tanquam apud Pontificem Max. & inter mulierùm turbam latuit, sed agnitus & deprehensus de pollutis sacris accusatus est. Quo ut crimen refelleret, ea die se in urbe fuisse negabat: Sed convictus Clarissimorùm virorum testimonio, quod eadem die apud Ciceronem ipsum Clodius fuerit, aliam viam incolumitatis ingressus est, corruptisq; pecunia Judicibus, sic damnationem subterfugit. Et propterea infensus vehementer Ciceroni, eo rogatio-

à Terentia uxore.

Cic: Predia, villæ, domus.

Bonæ Deæ sacra.

Clodius de pollutis sacris à Cic. accusatus.

Clodius Cic. persequitur.

gationibus suis rem deduxit, ut nullus refugii locus apud quenquam Ciceroni relinqueretur. Nam ex potentioribus & Crassus Ciceroni erat infensus. Detulerat P. Clodius nomen Cic. ad populum, quia ciues (ut ajebat) indemnatos, Lentulum, Cethegum, & horum socios in carcere Consul interemisset. Cæsar aliis rebus intendebat. Pompejus plane mussitabat. Tullius itaq; mutata veste quoscunq; pro sua salute precari nō destitit, ejusq; miseratione Equestris ordo movebatur, nisi Consules restitissent & armis Clodius curiam obsedisset. Difficultatibus iis Cic. impeditus noctu pedes urbe excessit; Clodius fuga audita, ut ei aqua ignique interdiceretur, effecit. Nec destitit quin omnia illius bona vastarentur & domus dirueretur, omnisq; ejus suppellex hasta submitteretur. Exulante Cicerone Clodius adversus Pompejum multa moliri cæpit. Is autem ut ei parem referret gratiā, Consules & Tribunos ad Ciceronis reditum instigavit. Et cum Milo unus ex Tribunis de reditu Ciceronis le-

Cicer. exul Clodii dolo.

Pompeii cùm Clodio simultates.

gem ferret, Clodius armis obstitit, unumq; ex Tribunis interemit, multos necavit, & omnia disturbavit. At universa civitas nihil aliud, quam ut reduceretur Cicero loquebatur, & urgebat. Ideo Pompejus collecta bonorum virorum multitudine, Clodium è foro exturbauit, & ad ferendam legẽ pro reducendo Cicerone Tribunis suffragatus est. Itaq; decimo & sexto mense post fugam Cicero, Senatus, populi, ac totius Italiæ lætitia ab Exilio revocatus est. Domus ei villæq;, Senatus decreto, publico ære exædificatæ. Clodius insaniens armis Ciceronem impetere, & mortem intentare perrexit, donec tandem indies rebus Clodii in deterius vergentibus tandem à Milone necatus fuit, quod patratum fuisse Ciceronis suasu pleriq; credebant. Mortuo Clodio sedata est tempestas & omnia quietius habuerunt. Cicero verò adeo effloruit ut Cæsari, Pompejo, Crassoq; sit factus amicissimus.

Cicer. ab exilio revocatio solennis.

Clodius à Milone interficitur.

Cicero floret.

Augur demum, & Proconsul post Crassi interitum factus, in Ciliciam

Cic. Augur Proconsul.

ciam concessit, Parthosq; Romanorum ac Consulis cæde elatos, sua sapientia, justitia ac integritate ad populi Romani benevolentiam atraxit, civitatesq; omnes tributis, rapinis, & usuris liberavit. Pecuniarum verò rationes ab decennio supra ad suum Proconsulatum retractavit, & furta innumerabilia emendavit. Sumptibus civitatum ita pepercit, ut Legatos qui Proconsules in Urbe Roma commendarent, mittere non fuerit necesse. Virgis neminem cædi jussit, nec lacessivit maledictis, & ab aditu neminem ad se prohibuit unquam. Ariobarzanem à Parthis infestatum, cum exercitu in Cappadociam profectus, regem ipsum ac regnum servavit: Parthorum copiis à Cappadocia recedentibus, Cicero Amanum montem caput ipsius gentis tripartito exercitu invasit ac post magnam hostium cladem, locum a c omnia loci castella vi cæpit: Unde etiam Imperator ab exercitu appellatus est, & Romæ supplicationes decretæ, ac ipsi triumphus oblatus. Verum quoniam Civilis belli procellæ

Cic. Parthos frenat

Auaritia Roman. à Cic. correcta.

Cic clementia.

Ariobarzanem Cicero à Parthis tuetur.

Cic. Imperatori post Parthorũ victoriam Triumph9. oblatus.

Cicero triumphū oblatū agere recusat.

inter Cæsarem & Pompeium efferverscebant, in tantarum rerum fluctuatione, indecorum videns triumphum agere nolebat. Et quamvis ab utroque literis peteretur nemini adhærere volebat pacisque & quietis hortator erat. In urbem tamen reversus statuit in Pompeii castra esse divertendum, in quibus Senatores & Consules Pompeio duce erant, omniaque iis quæ ad Reipub. salutem erant consuluit: tandem ubi vidit Pompeium uti nolle consilio prudentum, & omnia in deterius labi, quantum licuit à gerendis rebus sese abduxit. Deinde in Pharsalicis campis cum superatus esset Pompeius, à Catone & Cæteris Pompeianis reliquiarum exercitus, jussus est sumere Imperium, id tamē constanter recusavit: existimans frustra fractas partes resistere velle, cum integri pares esse non potuissent. Indeque furor omnium mentes invasit, ac nisi Catonis autoritas intercessisset, Cicero penè fuisset interfectus. In Italiam tandem ex Thessalia reversus, Cæsaris reditum Brundusii expectabat;

Cicero bellum inter Cæsarem & Pompejum disuadet.

Pompejani victi à Cæsare, Imperium offerunt Cic.

Cato contra vim tuetur Ciceronem.

bat; & à Terentia uxore desertus multis usuris & alieno ære se gravavit. Demum Cæsar ex Ægypto Tarentũ ubi venit, Ciceronem ut Consularem virum honorificè excepit, & ad terram desiliens Cæsar, Ciceronem amanter amplexatus, multa stadia secum duxit.

Cicer. à Terentia uxore desertus.

Cæsar Cicer. honoriffice excipit.

Postmodum cum Cicero videret, summam rerum unius imperio teneri, nunquam nisi salutandi Cæsaris gratia, aut pro civium salute Urbem petiit, ut in Causa M. Marcelli, Q. Ligarii, Regis Dejotari: Reliquum verò tempus legendo scribendoque, consumpsit. Natus enim erat ad hominum salutem. Itaq; primus Philosophiæ lumen, Latinis aperuit literis, dicendi tradidit præcepta, ac Eloquentiam Rerumpublicarum reginam ad Romani Imperii majestatem excoluit. Quo factum est, ut non solum PATER PATRIÆ & Eloquentiæ ac literarum parens merito vocaretur: Monumenta enim si ejus evolues, nihil ad reliqua obeunda otii habuisse putabis: Si gestas res, contentiones, occupationes &

Dictatura Cic. displicuit.

Cic. Marcellum Ligariũ, Dejotarũ defendit.

Cic. in tota vita occupationes.

Scripta Ciceron. eximia.

& certamina in Repub. perpendes, nullum illi tempus ad scribendum legendumque fuisse dices. Extant ab eo perscripti libri varii illique excellentes, quorum plures temporum vetustate deperditi sunt. Omnes veró summâ cum facilitate & ingenio, ac maxima sententiarum copia conscripsit, & ut paucis dicam, nec ex eadem ætate Ciceronem adæquavit quisquam, neq; ex posteris in literarum gloria. Leguntur ejus libri sub variis titulis, ut de Amicitia, de Senectute, Philippicę, Tusculanæ quæstiones; Invectivæ, de Divinatione; de creatione mundi; Dialogi, ad Hortensium: De partitione oratoris, de Agricultura: de Justitia in Jure naturali: Verrinæ: Invectivæ contra Salustium, Invectivæ contra Catilinam. De officiis libri tres: De Oratore; Paradoxa: Rhetoricorum libri: Orationum libri: De legibus: De fato: De natura Deorum; De Republica: De Academicis: Topicorum libri: De consiliis: De Synonimis, De gloria humana: De laude Catonis. De Pronosticationibus: De responsis

Cicer. scripta sub variis titulis.

ſponſis Aruſpicum. Item Epiſtolæ quas ſcripſit multas. Verum tantus vir, variis fortunæ telis ſubjectus fuit, & Ciceronis lætitiam ad extremum in mærorem mæſtitiamq; convertit. Nam & Terentia uxor non permanſit in fide, nec ei unquam pecuniis opitulata eſt: Ex qua tametſi M. Ciceronem & Tulliolam ſuſcepiſſet: tamen ejus infidelitate coactus eam repudiavit: Q. etiam frater iratus, & Tyro filius, capitalibus eum odiis perſecuti ſunt. Et cum ipſi ferme patrimonium totum æs alienum abſorbuiſſet, acceſſit etiam Terentiæ dotis reſtitutio, cui cum non potuiſſet ſatisfacere, Publiam grandi cum pecunia duxit uxorem. Poſt omnia hæc infortunia acceſſit Tulliolæ obitus, quem tam ægro tulit animo, ut nullam admitteret conſolationem. Domeſtica quoq; diſſenſio exaggrabat ſarcinæ magnitudinem. Nam & Publia ex obitu Tulliæ nimis geſtire videbatur. Quare Cicero dolore affectus, cum illa divortium fecit.

Cic. miſeriæ, & mutata fortuna.

Terentia uxor infidelis, à bono repudiatur Cicerone.

Cic. Publicam alteram divitem ducit uxorem.

Cum eadem facit diuortium.

At verò poſt interitum Ceſaris, quaſi necem

Cic. poſt

Cæſaris princeps habitus.

quaſi libertate recuperata Cicero rurſus in Senatu Princeps habitu eſt. Et ad conciliandos animos, inimicitiarum oblivionem, omne ſtudiũ,conſiliũ & ſapientiam convertit.

Antonii Tyrannis Cic. exoſa.

Antonius tum, Bruto & Caſſio fugatis ad Tyrannidem ſe accingebat, & armatos in ſubſelligis Senatorum collocabat, quo Cicero animadverſo amplius Curiam non petiit: Ideoq; Antonius Conſul comminatus eſt, Ciceronis ædes ſe demoliturum.

Cur Cic. in Antonium invectus.

Quo Cicero pro dignitate commotus, frequenti Senatu poſtridie venit in Curiam & magna animi celſitudine in Antonium invectus eſt, ejuſq; elationem inſolentiamq; increpavit.

Calumniæ Antonii Cicer. perdunt.

Ideo rurſus Antonius decem diebus oratione præmeditata, multis calumniis Ciceronem affecit. Potentiam hujus veritus Cicero Octauiano adhæſit.

Antonii fuga.

Interea Hirtio & Panſa creatis Conſulibus, Antonius urbe ſeceſſit, judicatuſq; eſt Ciceronis hoſtis.

Antonius victus apud Mutinam.

Mox Octauiano Prætore & Conſulibus adverſus eum miſſis, apud Mutinam inito prælio Antonius victus terga dedit: In quo magna utrinq;

trinq; clade, ambo cecidere Consules. Romam victoria relata, antequam de interitu Consulum sciretur, Ciceronem cum gretulatione & Ouatione in Capitolium deduxerunt.

Octauianus cum Lepido & Antonio patriam infestat.

Mortuis Consulibus, Octauianus dominandi libidine incensus, cum Lepido, & Antonio circa Bononiam, contra Patriam societatem iniit.

Cic. inter 300. cives neci destinatus ab Antonio & consortibus.

Et multis proscriptis & ad necem circiter trecentis civibus destinatis, Cicero in destinatorum sortem ab Antonio petitus est. Hunc quidem Octauianus uti Patrem venerabatur, qui opera Ciceronis ad hoc fastigium pervenerat, diu igitur resistens ægro tandem animo concessit: Hac tamen condiotine, ut Antonius L. Antonium avunculum suum, & Lepidus Paulum fratrem, ei versa vice ad cędem concederent.

Crudelitas nefaria nō parcit carissimis.

Rem nefariam ac crudelem, ad firmandam conspirationem pro sanguine in suis domibus mutare, ut etiam carissimos sibi mutuo in necem traderent?

Cice-

Cicero pro scriptus fugit in ortem.

Cicero itaque ubi se ad necem Antonio concessum esse percepit, desperatis rebus in Tusculanum iter arripuit. Dehinc Asturam. Mox nauim ingressus circa Cyrçæos nauigans, siue maris tædio, siue nondum de Octauiano spe deposita Asturam rediit. Rursus libertorum & servorum suasione victus in Formianũ delatus est: cujus lectica cum à corvis circumdaretur malo commotus Augurio ad mare reverti statuit. Interim Antonii satellites advenere duce Popilio, quem ab homicidio ipse defenderat, & ne posset evadere, undiq; circumclusus est. Qui cum lecticam deponi jussisset, dexrera sibi barbam demulcens, sexagesimo quarto ætatis suæ anno, truculentissimè necatus est.

Omen malum corvi.

Antonii satellites Popilio duce Cic. trucidant.

Brutus Antonium fratrem. Cic. Filio necandum dat.

Brutus audita Ciceronis morte qui tum in Macedonia erat, Antonium Triumviri fratrem, in vindictæ solatium, M. Ciceronis filio ad necem dedit: Quem ille ut dignas patri inferias penderet, securi percuti jussit. Antonius quoq; post modum sibi mortem consciuit, postquam

ab Octauiano victus eſſet. Lepidus autem omni ſpoliatus potentia, vitam traduxit inopem, & ita omnes Ciceronis inimici, pænas eo pacto commeritas luerunt.

Ciceronis homicidarum, pæna miſerabilis

Hæc ex Plutarcho Philoſopho Cherſonenſium illuſtri, contracta breuiter: Qui Hiſtorias Græcas & Latinas, maximè cognitione dignas, quę temporibus Monarchiarum, Perſicæ & Græcæ uſque ad Auguſtum contigerunt, in vitis ſuis magna ſolertia annotavit. Floruit ſub Tariano & Hadriano Imperatoribus. Traiano dedicavit libros Apophtegmatum, ab eoq; in Illyricum miſſus cùm poteſtate Conſulari, juſſumq; omnibus Illyricis magiſtratibus, ne quid ſine ipſius agerent autoritate.

Plutarchus quis.

II.
Quo tempore libri de Officiis à Cicerone ſcripti ſunt;

SAtis conſtat poſt occiſum Iulium Cæſarem, hos libros à Cicerone editos fuiſſe, Anno ætatis ſexageſimo

mo tertio, postqaam libros Philosophicos de Senectute, & Amicitia absolverat, & Prætor, Consul, Imperator, Proconsul, labentibus annis, florenti præfuerit Reipublicæ. Chronologi Annis quadraginta ante Christum natum id accidisse colligunt: Tum enim multi Nobiles Romani Antonii molitionibus proscripti sũt: & una Cicero Popilio Duce Antonii Satellite apud Formianum interfectus est.

III.

Qua occasione & in quem finem. hos suos de officiis libros Cicero scripsit?

CIcero impeditus publicis muneribus, longo intervallo, scribendi studium intermsierat. Sed postea videns, bello Civili inter Cæsarem & Pompejum Rempublicam ad unius gubernationem referri, consilioq́ue & autoritati nullum superesse locum, ad inceptam jam Philosophiam perficiendam animũm revocavit. Præscripsitq́; his libris lectori, quid in to-

in tota Vita, cujusvis conditionis homini tam Magistratui quàm Plebeis, Nobili & Ignobili, Juveni, & Seni, Mercatori & Mechanico, toto vitæ genere, pro temporum, locorum, personarum, atque aliarum circumstantiarum ratione, agendum sit: Atq; ita ad Vitæ Honestatem & Virtutem, omnes nos, homo Ethnicus admiranda sanctimonia, ac synceritate his suis libris invitat, Quam qui colunt studiose, beatam præ cæteris ducunt vitam, & ut Augustinus monet, vel Ethnicorum benefactis, exemplis, & præmiis incitati, acriores nos quoq; Christiani haurire debebamus ad eamipsam Virtutem stimulos.

IIII.

Si hi libri ad formandam vitam serviunt, quid etiam proderunt literatis ad dicendum?

VEluti hi libri, non solum rectè vivere, & de moribus judicare nos docent: Ita cognitionem rerum, judicium, & prudentiam in nobis acuunt, & stabiliunt: Virtutumq; ipsa notio explicata, & apprehensa, consilia humana & facta in tota moderatur vita. Denique omnem hanc doctrinam, qui animo comprehendit & eloqui didicit, floridam & gra-

tam eiopso reddet orationem, in omniq; vita civili & Morali sibi gloriam comparabit.

V.

Quod autem est Argumentum singulorum de Officiis librorum?

UT omnes penè Philosophici Ciceronis libri, ab imperfecto officio quasi aditum ad perfectum nobis præparant, quale sanè adumbrari, non verò dari potest: Ita in Primo Libro, tradit præcepta de iis Officiis, quæ ducuntur ab Honestate: Dividitque Honestum aut Virtutem in quatuor partes: Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem & Modestiam seu Temperantiam. Hæc ordine percurrit Cicero, ostendens quæ officia ducuntur ex unaquaque virtute. Sub finem libri confert etiam duo aut plura honesta inter se, docetq; majus minori in usu rerum præferendum esse.

In Secundo, perpendit & excutit hoc genus officiorum, quod in utilitatis ratione versatur: in cujus rursus fine facit comparationem Utilium inter se, & monet gravius leviori, aut plura paucioribus præponi debere.

In Postremo libro, confert utile cum Honesto, & indicat quid sit faciendum, quando illa videntur sibi mutuò adversari, sic, ut Honestum

nestum aliò nos invitet, aliò trahat utile. Nam ex Stoicorum doctrina contendit, nunquam hæc inter se pugnare.

VI.

Statimne Cicero rem ipsam explicare incipit?

NON statim: Sed præmittit illustre proœmium: quod facit in omnibus suis philosophicis & oratoriis libris.

VII.

Proœmium illud quot Partes habet præcipuas?

PRæfationem seu Proœmium in quatuor partes eruditi distribuunt. In prima enim parte hortatur Marcum Filium, ut hosce de Officiis, cæteroq; suos de Philosophia libros studiosè legat, latinasque literas cum Græcis ad Eloquentiam & sapientiam parandam conjungat.

In secunda, doctrinam hanc suam & scriptionem commendat, adeo ut nullam vitæ partem tam in publicis quàm privatis, forensibus & domesticis, carere officio posse ostendat.

In tertia, exponit causam, cur de Philosophia scripturus ordiri voluerit à disputatione de Officiis. Quia inquit, illa sit aptissima & tuæ ætati & meæ autoritati: tuæ ætati, quia patet latissimè, & sit utilis ad omnes vitæ partes, publicas, privatas, forenses, domesticas, imo si tecum vel cum altero agas quid vel contrahas, vacare officio potes.

Ita hæc doctrina quòd apta sit autoritati ipsius Ciceronis, sic probat: Quia, inquit, in officio colendo sita sit omnis Honestas, quæ decet Virum gravem & autoritate præditùm.

In quarta & postrema Parte, monet de sectis Philosophorum, à quibus Officii præcepta potissimùm velit peti, quos sequi, & quomodo.

VIII.

Quæ autem sunt illæ Philosophorum Sectæ?

DE præcipuis Philosophorum dogmatibus et sectis, quarum in hoc opere necessaria erit cognitio: De Magistratibus Romanis: Vocum & solennitatum quarundam apud Ciceronem occurrentium brevem explicationem: Aphorismos seu sententias ex Officiorum libris depromptas: Tabulam & ordinem tempo-

temporum, quo Philosophici libri à Cicerone scripti & editi sunt: Videbis in fine hujus libelli.

IX.

PARASCEVE ad Lectorem Benevolum.

M. Cicero, maximarum rerum gloria clarus, ac Vir doctrina & ingenio incredibili, contulerat ad inquirendum veritatis studium omnem operam: Quam si tu meliùs investigasti, illa piè utere, & altum noli sapere, fragilitati verò humanæ, & gratiæ Divinæ metam & gradus ponere, non nostrum est.

Gradus Sapientiæ est, falsa intelligere: alter est, vera cognoscere. Enimverò & noster hic omnium oratorum & Philosophorum antesignanus Cicero, & veritatis & Sapientiæ studium, tanquam Summo & præcipuo bono, in Deo ipso statuit: Sic enim in lib. de Consolatione inquit: Nec verò Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi Mens soluta quædam & libera: Segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens. Nec minori laude Annæus Seneca, acerrimus Stoicus, Deũ nobis, tanquam Summum Bonum prosequitur.

De immatura enim morte ita differit. Non intelligis, inquit, auctoritatem ac majestatem Judicis tui, rectoris orbis terrarum, cœliq; Dominorum & Deorum omnium Deum, à quo illa Numina, quæ singuli adoramus & colimus, suspensa sunt.

In his & plurimis aliis assertionibus, magnæ pietatis semina elucere, quis negabit? Cùm & libri de Natura deorum, de Republica, libri de Legibus, admiranda nobis dederint ejusmodi documenta?

Verùm & hæc, etiamsi maxima ingenii contentione dicantur: tamen terrenæ potiùs vitæ, quàm cœlestis omnia habent rationem, nec veram Summi boni cognitionem nobis exhibent.

Felices itaq; universos fideles Christianos, qui Veram illam hominis Beatitudinem, per Christum Electis partam in ipsa Remissione peccatorum, & æternæ vitæ consecutione constare sciunt, & credunt: Nec ullis humanis & Philosophicis etiam acutissimis disputationibus posse doceri: sed solis Scriptis Propheticis, Euangelistarum & Apostolorum hujus doctrinæ salutaris certitudinem nobis patefactam esse, non ignoramus.

Quanquam cum hac Civilis vitæ consuetudine, à Cicerone nobis syncerè & graviter descri-

descriptæ, Religionem non pugnare in confesso est. Cum & ipsum Officium in Honesto positum, etiam ipsum Civilis vitæ statum, post Deum tuetur & conservat omninò.

Sed jam ut hæc doctrina Officiorum Ciceronis jucunda & fructuosa, maximo studiosorum thesauro Memoriæ subsidio, & adminiculo esse possit majore: ab Officii & ipsa legis Naturæ deductione, quæ primas intelligentias in mentibus nostris inchoat, genuinis, quoad fieri poterat, Ciceronis verbis, triplici sociatas lance, sub oculos singulari Epitoma apponemus: ut ita corpus ad rectè agendum, animus ad intelligendum, pro communi rerum usu, & publica incolumitate optimè confirmetur, & præparetur.



EPITOME

IN TRES LIBROS OFFICIORUM, SEU PHILOSOPHIÆ Moralis, M. T. Ciceronis.

LIB. I.

Quid est Officium?

EST actio, conveniens Legi Naturæ, quæ est fons omniũ officiorum, sive honestarum actionum.

Vel,

Officium est benè vivendi, recteque faciendi consilium.

Vel,

Officium est, quo dicti, factique rationem reddimus probabilem.

Was ist ein Gebürlich werck?

Es ist ein werck/ das sich reimet/zum gesetz der Natur / darauß alle Tugenden fliessen.

Coż jest powinność ludzi wßech stanow?

JEst postánowienie spraw/ y ludzkiego żywotá.

wotá tákowe / ktore śię zgadzą z przyrodzonym práwem / z ktorego zrzodłá wszystkie powinnośći / y uczćiwe spráwy płyną.

Quid est Lux Naturæ?	Was ist das Gesetz der Natur.
Est lumen divinitus insitum mentibus humanis, de Moribus: qui consenatnei sunt legi Divinæ, sive Decalogo.	Es ist ein licht / in der Menschen Vernunfft / von Gott gepflantzet / von guten sitten / die sich reimen mit Gottes gesetz / oder den zehen Geboten.

Coż jest przyrodzone Práwo?

Jest Swiátłość w Człowieczym rozumie / dźiwnie od Bogá wszczepiona / o dobrych obyczájách y powinnośćiách / ktore śię zgadzáją z práwem Bożym / álbo zdźieśięćiorgiem jego przykazánim.

Da Exempla Legis Naturæ?	Erzele etliche Exempel des Gesetzes der Natur?
I. Homo non ortus est à se ipso: Ergo aliunde habet suam originem, nempè à Deo.	Der Mensch / ist nicht von jm selber herkomen / Darumb hat Er seinen vrsprung anders her / Nemlich / vom Gott.

Wylicz mi niektore dowody tego przyrodzonego Prawá?

Człowiek nie urodził się sam z siebie: Przeto swoy początek ma skąd inąd/ to jest/ od sámego Bogá.

II. Si est conditus à Deo: Ergo Deus est præstantior: atq; ideo debet obedire Deo,	So Er nu von Gott erschaffen ist / So ist GOtt höcher/vnd darumb soll Er Gott gehorsam sein.

Jeśli od Bogá Człowiek stworzony jest/ Tedyć Bog nád wszystko zacnieyszy y namożnieyszy jest/ A dla tego ma też człowiek posłuszny być woli Bożey.

III. Omnes homines, sunt conditi à Deo: Ergo propter eundem Conditorem, societas humana est juvanda, non lædenda.	Alle Menschen/sind von Gott erschaffen/darumb soll von seinetwegen / ein Mensch dem andern helffen / nicht schaden.

Wszyscy ludźie są od Bogá stworzeni: Zátym idźie/ yż zá możnośćią tegoż Stworzyćielá sámego / człowiek człowieká y społeczność spomagáć ma / á jeden drugiego nie szkodźić.

Quia

IIII. Quia Societas est juvanda, non lędenda: Honor iis habendus est, qui prosunt Reipublicæ, coërcendi verò, qui turbant societatem.

Die weil man die bürgerliche gemeinschafft fördern/ vnd nicht hindern soll/ So soll man die in Ehren halten/ die der Gemein nützlich vorstehen/ die jenige aber steuren/ Die bürgerliche gemeinschafft begeren zu verunruigen.

Yż pospolstwo pomagáne/ á nie zánißczone y obrażáne być ma / Przeto mamy te w ußánowániu y ucżćiwośći mieć / ktorzy Rzecz pospolitą zámagáją y o nię się zástáwiáją/ A owych záś záwśćiągnąć/ ktorży pospolstwo nißczą y psują.

V. Ergo Furta, adulteria, Perjuria, rapinę, injuriæq; omnis generis supplicio coërceri debent. HIC EST FONS OMNIUM LEGUM CIVILIUM.

Derhalben müssen diebstal/ ehebruch/ meineyd / raub / vnd allerley vnrecht gestrafft werden / Diß ist der vrsprung aller Weltlicher Rechten.

Przeto też złodźieystwá/ Cudzołostwá/ krzywoprzyśięstwá/ gwałtowne wydárćia/ y krzywdy wßeliákie / máją być kaźnią srogą karáne.

A ſkądći ſwoy powod / y początek máją/ wßyſtkie świeckie práwá.

VI. Mens humana intelligit, ordinem eſſe neceſſarium, & inquiſitionem cauſarũ, antecedentium,& cõſequentium, HÆC NOTITIA EST PRUDENTIÆ.

Die Vernunfft verſtehet/das ein ordnung ſein muß/ vnd das man in allen dingen forſche nach der vrſach / was vorhin geſchehen / vnd was gefolget iſt/ Dieſe erkentnis verurſachet die leute zur fürſichtigkeit.

Ludzki Rozum byſtrością ſwą dochodzi y náiduje/ że własna miárá y porządek we wßyſtkich ſpráwách być muśi/ á roztropnie ták przeßłe jáko też przyßłe ſyráwy y ich przyczyny u śiebie rozbiera y waży / A tákie rozmyślánie n umyślie o rzeczách wżywoćie ludzkim / przywodzi nas do Mądrości.

VII. Intelligit etiam, infirmiores, à validioribus juvandos, & inſipientiores, à Sapientioribus gubernandos eſſe. Hinc nata eſt JU-

Sie erkennet auch das die ſtarcken de ſchwachen helfen/ vn die albern von denn w zigen regirt werde ſollen : Daher iſt di

GE

STITIA, QUÆ GUBERNAT OECONOMIAS ET POLITIAS.

GERECHTIGKEIT kommen / da durch das Hauß vnd Stat Regiment bestellet wird.

Rozumie też y wibacża dobrże/ że Bogáċi máją zápomagáć ubożßych / á Głupßi máją mędrżßych słucháć y rżądźić śię dáć / A ztąd urosłá SPRAWIEDLIWOSC ktorą y Gospodárstwá y Rżecży pospolite rżądźi.

